



ditate, omnia creditoribus cedere cogerentur et summa deinde paupertate degerent vitam, ac vitae luxuriosae assueti ad omnia facinora essent parati. Quae cum reipublicae maxime essent damnsa, quippe cuius interest, filiosfamilias ita educari, ut aliquando utilia evadant reipublicae membra, bona subditorum conservari, nec illico foenori exponi, legislatores huic malo remoram obicemque hocce posuerunt Scto.

§. III.

Dicta paragraph. antecedentis profunduntur.

Non negandum autem, iam ante hoc S^ctum et iamiam tempore liberae reipublicae adfuisse leges, quibus filiisfamilias mutuas dare pecunias prohibitum fuit b). Callidi vero foeneratores cum saluberrimas hasce dispositiones eo potissimum eluderent, quod filiisfamilias ea conditione subministrarent pecunias, *ut demum post patris mortem restituant*: sicque creditores id haud vivente patre sed demum post eius mortem repetere promitterent, huic fraudi ut obveniatur a. u. c. 800 sub Claudio promulgata est lex hu-

b) Quod patet ex CICERONIS Oratione pro Marco Coelio c. 7. ibi: *tabulas, qui in patris potestate est, nullas conficit*: i. e. mutuam valide non accipit. Idem TERENTIUS in Phormione Act II. Scen. I. v. 70 de suis temporibus haud obscure dicere videtur.